

81/10/78

Handwritten text in a dark ink on aged, yellowish-brown paper, likely a manuscript or book cover. The text is written in a highly stylized, cursive script, possibly a form of Gothic or Blackletter. The characters are large and ornate, with many loops and flourishes. The text is arranged in a single column, running vertically down the length of the page. The paper shows signs of wear, including some staining and a small tear near the top edge.

BX1977
.S7
V3
1759
v.1
c.1



1080044959

EPHEMERIDES
SACRÆ ET PROFANÆ,
THESAURUS TEMPORUM
 IN QUATUOR TEMPORA
 PER RR. P. M. FR.

EMMANUELEM
DE VILLARROEL
 PINTIANUM, . 46314
 MONACHUM BENEDICTINUM
 LAURENSANENSEM,
 THEOLOGIÆ DOCTOREM,
 SACRARUM SCRIPTURARUM INTERPRETEM,
 REGIUM THEOLOGUM,
PRÆDICATOREM GENERALEM
 BENEDICTINÆ CONGREGATIONIS
 HISPANO-ANGLICÆ, &c.

HYEMS.
 TOMUS PRIMUS.
 SECUNDA EDITIO.



UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
 CAPILLA ALFONSO DE BOURBON BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
 Rollo-35 MICROFILMADO 7/2/83

MATRITI: TYPIS Andrea Ortega, via Infantarum. MDCCLIX.
 CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO REGIS.
Sed prostant in Monasterio Sancti Martini.

EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. NICOLAO
FERNANDESSIO DE CORDOVA,
LACERDA ET ARAGON,
MARQUIONI DE PRIEGO,
DUCI DE MEDINA-COELI, &c.
FR. EMMANUEL DE VILLARROEL

V. O. P. F.



UID, si magna de Maximo & Optimo pro honore dicentis obsequiosè dicantur? *Præut quisque eximius est, æquè debentur eximia.* Voluisse fat benemerito & bene merenti: voluntasque laudanda, ut honoribus respondeat affectu; quantumvis ad æqualitatem, esto grata, non respondeat. De summo encomiasticè fit sermo, quin sermo adæquetur summo. Non enim cogitari potest æqualitas, ubi superat cogitationem gestorum cellitas. *Longum est de ejus gloria sufficienter loqui, quem singularem gentibus sæcula sæcunda genuerunt. Te (Florentissime Princeps) labor instituit; ut nos minus laborare debeamus. Tecum pax certa, quod apud sapientes Reges singulare munus est.* Pars enim meriti, utique *merita celebrare priorum.* Tibi quia totus virtutis, minimè encomium per partes; dum cunctas colis & excolis uti singulas. In tanta fortunæ dignitate constitutus, atque fortunis natus, tantis opibus dives & opulentus, tantis talibusque parentibus ortus (quorum in pace & bello, in otio in negotio, domi forisque consilio, scuto, ope patria salubriter usa) celsior emines. Providentia enim talem te constituit, ut de meliore luto, indole proba tua fingeret præcordia Titan: & per te si ex illis specimina præclara; ederentur

Herodot. lib. 7. cap. 50.

Cassiod. 8. Variar. Ep. 10.

Paulin. Carm. 1. v. 19.

BIBLIOTHECA MUSEI HISTORICO-NATURALIS
CIVITATIS VINCENZÆ
VILLARROEL DE VILLARROEL

præclariora. Vicisti famam virtutibus, quæ refulgent ultra famam, rumpentem clangore tubam, collocatis vexillis in stabili templo futuræ immortalitatis. Haud te excelsitas honoris honorat; sed quia lustras itinera integritatis, etiam magnitudinem commendabilem illustras. Non potes decorari titulis, titulorum multiplicium nobile decus. Venerunt, quin te cognoscerent; ut possessor honorares. Non tua, sed illorum interfuit; ut splendor innatus plus te socio rutilaret. Non magnus nec spectabilis diceris, quia tot illustria stemmata habes; sed quia ante merita præcognitione meruisti, futuris temporis velocitate dotibus præclarissimis, atque pretiosis genij nobilissimi instrumentis: ita ut tituli honorifici & magnifici non tam essent signa Magnatis, quam insignia meritorum, atque tessera virtutis.

Ovid. 4. Trist. Eleg. 4.

*O qui nominibus cum sis generosus avitis,
Exuperas morum nobilitate genus!*

Prædecessores, Magnates, Primates, singulares Heroes dignata cognoscit Hesperia, imò etiam in laudem Europa. Major Majoribus ederis in illorum splendoris magnitudinem. *Quid enim generosius, quam tot Proceres habuisse Majores? Nam si inveterata, & per genus ducta divitia nobiles faciunt; multo magis præstantior est, cujus origo prudentia locuples invenitur.* Apposite Staius.

Staius, 1. Silv. 2. v. 105.

*Grande quidem rarumque viris (quos ipse probavi)
Egregium decus, cui gloria patrum
Et generis certabat honos.*

Prodiisti in lucem, ad lucem singularem producentium, utpotè Charitum manibus, moribus probatissimis imbutus, fecialiterque nutritus ad unguem è primis unguiculis; ut Gratia charismatibus non tam te efformarent in virtutem; quam apprime in virtutum allectricem perfectionem. Illæ pulcherrimæ tam exactè morum nitorem integritate fixerunt; qualem animus, non oculi vel ipso intuitu, discernere valet, si valet discernere.

Acchil. Borch. Symbol. 24.

Virtus virtutem fingere sola potest.

Fortuna cellior, virtus clarior. Cui victoria? In comites individuos profectò nulla. Modò fortuna valens prævaleret; virtus victricem prorsus sibi cedere coegisset, trophæum in splendore solij construens meritis amplioribus, ex spolijs fortunæ

ac fortunarum opimis; ut tu (Princeps gloriosissime) floreres spes altera patriæ. *Fortuna namque cum virtutem ex tota terra in unam domum contulisset;* reconciliata (quia virtutem averfa & adversa) sese obsequiose servilem comitem præbuit; & in gloriam tuam jugum subijt; atque libertatem, ut haberet, studiose mancipavit. Dedit utique honores & dignitates, non ut daret; sed ut acciperet, & sibi consuleret, dum tibi occurrit haud propter honorem amplæ dignitatis; sed propter ampliorem dignitatem honoris.

Philostr. in Icon. Pyrrhi.

Quisnam præter te, quotus quisque in aula regia sibi ædificavit solitudines, quin gloriatur in gladijs? Altius in alta addictum harena propositum: recti tenax,

Invenit virtute viam
Ut in medio Babylonis sit sacrum, quod aulicis ac Magnatibus, Proceribus, & Principibus incognitum. Cunctis mirabile, atque magnificum; quod palatium tuis moribus decoratum, aulicâ procul expectatione, spectetur regulare Monasterium. Cuncta in ordine. Tibi sollicito vigil cura pauperum, auxilium miserorum, factusque es, eximiâ præcellenti charitate, Refugij refugium. Semper pius, & in ipsa pietate commendabilior est modus. Largis elemosynis ingeniosè faves, ne pudibundi erubescant, qui accedunt inopes.

Cassiod. 8. in Praef. ad Senec. Epist.

Ovid. 4. Trist. Eleg. 4.

Claudian. de Bell. Gildon. v. 320.

Ovid. 4. Trist. Eleg. 4.

*Cernere semper, populis undare Penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.*

Claudian. Panegy. 1. v. 46.

Antevertis spem, vota præcurris, ut invalidi necessitatem non videant: imò ne sentiant. Portas in sinu, ut foveantur. Promptum auxilium: è visceribus pendent: ac in eorum pressura sublevanda, te auctorem cognoscentes, Angelum vident. *Fuit vir (de Antonin. Pio dicitur) formâ conspicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, placidus ingenio, singularis prudentia, nitida literatura, sobrius, mitis, largus, alieni abstinens, & omnia hæc cum mensura & sine jactantia. Incunctis postremò laudabilis, & qui merito Numa ex bonorum sententia comparatur. Verè natura clementissimus.*

Jul. Capitolin. in eo.

Multa fanè digna, uti egregia, occurrunt admirationi in commendationem spectabilem; sed nullum majus, quam tot aureorum millibus obarato Majorum statu, in pristinum, pri-